

Petrus de Vinea

*Ep. I 20 (Vt iustitiam et
innocentiam nostram...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 20 (Vt iustitiam et
innocentiam nostram...)*

1245

Fridericus regibus et universis baronibus regni Franciae, narrans eis processum habitum inter ipsum et papam

1. Vt iustitiam et innocentiam nostram, tam uos quam alii reges orbis et principes agnoscatis, ecce processum totum super discordia inter nos et istum summum pontificem et predecessores suos habita, presentibus denotamus. Nec tamen in hoc stare tantummodo fidei nostrae uolumus, sed quicquid tenore presentis scripturae asserimus parati sumus per sufficientia documenta monstrare. 2. Primum quidem scire uos credimus, qualiter Innocentius alius predecessor istius, sub cuius pallio et tutela nos nedum impuberem, sed infantem mater nostra dimiserat, contra nos etiam in Imperio – cuius principes nos in regem elegerant et nos in imperatorem assumere in uita patris nostri iurauerant – Othonem de Saxonia ueterem aduersarium nostrum et domus nostrae in imperatorem in nostrum preiudicium consecrauit; 3. qualiter comitem Gualterium de Brenda, qui uelut gener Tancredi regis intrusi mortem nostram et sanguinem sitiebat, sub defensionis nostrae specie misit in Regnum; 4. qualiter etiam Gregorius papa nonus, predecessor istius, sub ea occasione, quod nos in termino nobis dato, infirmitate grauati, transire nequiuimus ultra mare, contra iustitiam nos primitus excommunicationi subiecit, deinde postmodum, pro seruitio Iesu Christi peregrinantibus nobis, Regnum nostrum hostiliter usurpando, qualiter de Ultramarinis partibus redeuntes, recuperata terra nostra, quam ceperat, pacem cum ipso firmauimus, quam nullo credidimus tempore uiolandam. 5. Quam licet ipse nobis in parte seruare negauerit requisitus, cum Ciuitatem Castellae, per ipsum turbationis tempore occupatam, reddere nobis

nollet ex pacto, dum in multis aliis nostram uisus est offendere maiestatem, nos tamen, nedum illatas dissimulabamus iniurias, uerum etiam seruire sibi sub infinitis laboribus nostris et sumptibus nitebamur, nos opponendo Romanis pro recuperatione iurium Ecclesiae, quae Romani predicti nequiter occuparant, cum quibus postmodum papa prefatus pacem composuit, nobis insciis et contemptis. 6. Nec illud ignorare uos patimur, qualiter contra nos, de predicto seruitio... diebus ante proximis recedentes et in Theutonium ad corrigendum Heinrici primogeniti filii nostri errorem sub fauoris sui litteris procedentes, occulte nuntium ad principes destinauit, per quem mandauit eisdem, ut nullum de filiis nostris, uel de genere nostro, in regem sibi assumerent, prohibens, prout iidem principes nobis postmodum retulerunt: et sic, quem ex impenso seruitio publice credebamus habere propitium, latenter inuenimus inimicum; 7. qualiter etiam paratis nobis in Ytaliam descendere pro recuperandis non minus Ecclesiae, quam Imperii iuribus, pro Vltramarino negotio procurando et ordinando statu pacifico regionis ipsius, misit nobis obuiam episcopum Penestrinum, nuntiorum nostrorum contradictione contempta, qui non ipsum, uelut inimicum nostrum, sed Antiochiaie patriarcham uelut amicum in Transmarino negotio requisierant pro legato; qui prenominate episcopus a deuotione nostra Mantuam temptauit auertere, et Placentiam, in qua, uelut originarius eius, nimium poterat, euidenter auertit contra nos, ne transire possemus, quamquam hoc frustra temptauerit, Lombardorum exercitum congregando. 8. Obtenta deinde cum auxilio Regis regum de Mediolanensium prauitate uictoria, dum Lombardi contra nos et Imperium de ipsorum resistentia

desperarent, ad eundem summum pontificem, qui eos fauore palliato protexerat, publice confugerunt, asserentes, quod nisi ipsos a nobis papa prefatus et Fratres, publica defensione defenderent, ad nostrum et Imperii redire dominium cogerentur.